



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 2. De Scala stante super terram. Quo probatur licitam Virginibus in seculo perpetuam Continentiam, & Earum Vitam verè esse statum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

ni: vos inquam eâ gratiâ dignatæ quam illa suspirabat in Canticis: *Trabe me, post te curremus in odorem e. i. vers. 3. unguentorum tuorum.* Quarum quælibet securè potest Christo dicere sibique ab eodem polliceri: *No-* ^{Psal. 15:} ^{11.} *tas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Tantùm, quo S. Cyprianus Tractatum suum *de Disciplina & Habitu Virginum* concludit, *Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter.*

§. II.

De Scala stante super terram.

E Adem quæ ante annos circiter quadraginta haud ita pridem resuscitata est Quæstio, sitne Vita Virginum Deo cum proposito continentiaë famulantium in seculo licita & verè Status: negarunt olim & etiamnum negant aliqui, quorum solenne: *Aut Maritus aut Murus: aut in Conjugio aut in Cœnobio.* Alii è contra asseruerunt & asserunt hodiedum oppositis eruditissimis Apologiis, quos inter Leo Hubertinus, Valentinus Biscopius & Hermannus Busenbaum cujus Libello titulus *Lilium inter Spinas:* Ea controversia hîc nunc enodanda, & quia bimebris, duplici responsione dissolvenda, quæ erit ulterior *Scalæ stantis & stantis super terram* consideratio.

Ad PRIOREM ejus PARTEM respondeo non modò Rationi reluctari hujus Vitæ Æmullos, sed & Scripturæ ac Patribus, quos ab eis nun-

quam lectos ausim asseverare. Rationi quidem: quot namque Virgines parentibus decrepitis, indigis vel infirmis omnino necessariæ vel ad ministerium vel ad solatium, quæ si ad Conjugium non afficiantur, quis negabit eas licitè etiam in seculo sese divino servitio mancipare? Quot ob dotis defectum (quæ, quò largior, eò gratior) à Monasteriis excluduntur, quas si non delectet vagitus infantium & amplissimum connubii Claustrum, in quo quamplurimæ sorores afflictæ, quis improbit quòd cum proposito continentia in seculo famulatu divino sese devoveant? Quot rigori monastico ferendo impares? Quot diversis infirmitatibus obnoxia, quas, cùm Nosocomia non sint, non admittent Cœnobia: quis hisce invidet, si quomodo possunt sub suorum Superiorum directione Deo deserviant: hisce duabus posterioribus Rationibus, quia plures à Monasteriis repelli videbat, motus S. Franciscus Salesius sub Regula D. Aug. & Titulo Visitationis B. Mariæ, novum Ordinem instituit, in quem, ut ad Evangelicas Nuptias, cujuscunque conditionis etiam vetulæ & infirmæ reciperentur: *ut quemadmodum debiles fructu sanitatis robustarum, ita robustæ reciprocè merito patientiæ debilium fruerebantur*, habent ejusdem Constitutiones. Denique, ut rationes alias omittam, Deo gratius est magisque apud eum meritorium præsertim in hisce Provinciis ad earum Virginum exemplar, quas circumduxisse Apostolos meminit Scriptura, in seculo famulari Altissimo, & Sacerdotum, Amicorum ac Proximi necessitatibus suâ operâ, instru-

I Cor. 9: 5.

stru-

structionibus vel subsidiis succurrere, quàm alibi in Parthenis delitescere, maximè cum ea continentia nullum ampliorem valorem aut excellentiam suppeditent, sed solùm majorem custodiam, quæ eorum prope prima scaturigo: adeoque non licita modò est vita vestra sed & CASTITATIS vos estis FILIÆ PRIMOGENTIÆ, illæ inquam ^{1 Cor. 7.} ^{Matth. 19:} ^{12.} quas eidem suscitare intendit Apostolus, quas laudat Virginum Sponsus, quibusque instituendis Basilii, Gregorius Nazianzenus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & plerique alii Ecclesiæ Magistri suos calamos & industriam consecrarunt.

Errant ergo qui in solo concluso Monastices Horto erectam hanc mysticam Scalam prætendunt, quæ visa est *stans super terram*: audite solatium S. Augustini ne vos Claustralibus inferiores arbitremini: „ Ubi ponimus, is inquit, quòd multi & ^{De sancta} ^{Virgin.} ^{c. 35.} „ multæ ita custodiunt continentiam Virginalem, „ ut tamen non faciant quod Dominus ait: Si vis „ esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, „ & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, „ & veni sequere me: nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit sibi aliquid „ proprium, sed sunt eis omnia communia: nihil „ ne putamus fructificationis accedere Virginibus „ Dei cum hoc faciunt? aut sine fructu esse Virgines Dei etiam si hoc non faciunt? Multa ergo sunt „ dona, & alia aliis majora ac superiora singulis singula. Et aliquando alter fructuosus est donis paucioribus sed potioribus, alter inferioribus sed pluribus:

ribus: & quemadmodum inter se vel coæquen-
tur vel distinguantur in accipiendis æternis ho-
noribus quis hominum audeat judicare? Hæc
Augustinus, unde, ut & ego meum suspendam ju-
dicium, sicut Moniales vobis non præfero, ita nec
vos iisdem inferiores assero, *neque enim locus nos vir-
tute facit præditos* juxta monitum D. Chrysostomi,
sed mens & mores.

*Hom. 43.
in Gen.*

Exhilet vos D. Ambrosii de vobis scribentis
sententia, qui, postquam vestram Patronam ac
Prototypon dixisset Beatissimam Virginem Ma-
riam, ocius subjungit: „ O quantis illa Virgini-
bus occurret! quantas complexa ad Dominum
trahet, dicens: Hæc thorum Filii mei, hæc tha-
lamos nuptiales immaculato servavit pudore:
quemadmodum ipse Dominus commendabit Pa-
tri nimirum illud & repetens suum: Pater sancte
istæ sunt quas servavi, in quibus Filius hominis
caput reclinans quievit, peto ut ubi ego sum &
ipsæ sint mecum. Quæ pompa illa! quæ gra-
tia! quanta Angelorum lætitia, quòd habitare
mereatur Virgo in cælo quæ cœlestem vitam vi-
xit in seculo. Animet vos D. Hieronymi Allo-

*Epist. 22.
c. 17.*

quium: „ Qualis erit illa dies, cum tibi Maria ma-
ter Domini choris occurret comitata Virgineis!
cum post rubrum mare submerso cum suo exer-
citu Pharaone tympanum tenens præcinet re-
sponsuris: Cantemus Domino, gloriosè enim
honorificatus est, equum & ascensorem projecit
in mare. Tunc Thecla in tuos læta volabit am-
plexus. Tunc & ipse Sponsus occurret & dicet:

„ Sur-

„ Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba
 „ mea, quia ecce hyems transiit, pluvia abiit sibi.
 „ Tunc Angeli mirabuntur & dicent: quæ est ista
 „ prospiciens quasi diluculum, speciosa ut Luna,
 „ electa ut Sol? Videbunt te Filiæ, & laudabunt
 „ Reginae & Concupinæ prædicabunt. Hinc &
 „ alius castitatis chorus occurret. Sara cum Nuptis
 „ veniet, Filia Phanuelis Anna cum Viduis: erunt
 „ in diversis gregibus carnis & spiritus matres tuæ,
 „ lætabitur illa quòd genuit, exultabit ista quòd
 „ docuit.

Agnosco quidem Virginitatem corporis intra
 Monasteriorum septa tutiorem (utpote intra pro-
 pugnacula sua, quo fundamento nostri adversa-
 rii decipiuntur) quàm in seculo: at pudicitiam
 mentis utrobique æquè periclitari assevero, & ut
 nec Eva in Paradiso tuta, nec Susanna in clauso
 etiam Pomario, ita nec in concluso Religionis
 Horto Virgo professa: unicus ejus custos Timor
 Domini, hoc in seculo eodem & in Asceterio se-
 se communiat, quæcunque integram velit suam
 continentiam: non repugnando seu opponendo se-
 tentationibus; sed fugiendo juxta Apostoli præ-
 scriptum cum de hac materia mentionem facit,
 namque

Parit hæc Fuga Lauros.

Ut autem ex D. Chrysostomo Castitas fugere pos-
 sit indemnis aliarum virtutum societate stipata sit
 necesse est, aliàs sine earum ope & fulcro, ex sensu
 D. Bernardi, facilè lapsura. „ Nec amittitur Virgi-
 „ nitas corporis nisi prius amissa fuerit Virginitas

*L. de Orati-
 ne Vita.*

„ men-

„ mentis: revera non potest caro corrumpi, nisi
 „ mens fuerit ante corrupta. Verba sunt Antistitis
 Mediolanensis ad Virginem Lapsam, ideóque ait
 ad eam: „ Aut enim ex corde tuo verba mea volu-
 „ cres, id est Dæmones, rapuerunt, aut malis tuis
 „ cogitationibus suffocata sunt, aut aruerunt nimio
 „ æstu libidinis. Hæc si quis impediatur aut præca-
 veat in periculis sine periculo erit.

De Discip.
 & Habitu
 Virgin.

Itaque ô Virgines S. Cypriano dictæ: „ Flos
 „ Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum
 „ gratiæ spiritualis, laudis & honoris opus integrum
 „ atque incorruptum, Dei imago respondens ad
 „ sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis
 „ Christiani: moneo cum eo, quocum & conclu-
 do: „ Ut quæ se Christo dicaverint, & à carnali con-
 „ cupiscentia recedentes tam carne quàm mente se
 „ Deo voverint, consumment opus suum magno
 „ præmio destinatum.

POSTERIORI Controversiæ PARTI at-
 tequam satisfaciamus, Theologorum Oraculum
 Thomas de Aquino prius adeundus, & ab eo in-
 quirendum quidnam sit Status: quem docet esse
 certum modum vivendi quasi cum immobilitate:
 quo supposito, quod & recipitur ab omnibus, di-
 co Virginum vitam, non minùs ac Matrimonialis
 & Religiosus, verè & propriè in Ecclesia olim fuisse
 & etiamnum esse statum, eo fundamento (ut
 multiplices aliorum rationes non allegem) quòd sit
 certus modus vivendi, nempe cogitandi quæ Dei
 sunt quo sint sanctæ corpore & spiritu cum propo-
 sito continentiae, idque immobiliter, quia non est
 liberum

2. 2. q. 183.
 4. 1.

10

liberum Virgini post sui consecrationem resilire :
 quod fundamentum tanquam indubitatum passim
 supponunt SS. PP. Virginum Nutritii, easque si
 à suo proposito deficiant & ad nuptias vel illicitas
 carnis voluptates proruant, tanquam Adulteras
 puniendas decernunt : quomodo loquitur D. Ba-
 filius ad Amphilochem de Virginibus Lapsis, ubi,
 cum eas Christi Sponsas dixisset & sacra Vasa Do-
 mino dedicata, subnectit, magnum quidem pecca-
 tum esse si ancilla illicitis concubitibus vacet do-
 musque possessorem ignominiâ affecerit : „ Sed
 „ multò est gravius Sponsam fieri adulteram, &
 „ unione cum Sponso ignominiâ & dedecore affe-
 „ ctâ se incompetentibus voluptatibus tradere. Vi-
 „ dua itaque ut corrupta Ancilla condemnatur,
 „ Virgo verò Adulteræ judicio subjicitur : uti &
 „ Adulteri, qui talem sibi copulavit, quod alibi fu-
 „ sissimè idem Sanctus Antistes prosequitur : „ Non
 „ se fallat, is inquit, qui à Virginitatis curriculo ad
 „ carnis vitia deflexit : Conjugium quippe illi in
 „ peccatum reputabitur. Primùm quidem, quia
 „ pessimum hujus conjunctionis fundamentum
 „ voluptatem jecit prævaricationisque malum.
 „ Deinde quia causa non est libera, neque enim
 „ est mortuus vir ejus, ut, cui vult, nubat : vi-
 „ vente immortalis viro meritò censetur Adultera,
 „ quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini
 „ thalamis intulit. Idque ibidem inculcat sæpiùs.
 Quomodo & Pomponio ab eo consultus rescribit
 S. Cyprianus : „ Quòd si ex fide se Christo dica-
 „ verunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseve-
 „ rent,

*Epist. 10.
 Canonica
 Can. 18.*

*L. de vere
 Virgino.*

Epist. 62.

rent, ita fortes & stabiles præmium Virginitatis
 expectent. . . . Si superveniens maritus sponsam
 suam jacentem cum altero videat, nonne indi-
 gnatur & fremit? fortassis & gladium in manus
 sumit? Quid? Christus Dominus & Judex no-
 ster cum Virginem suam sibi dicatam & sanctita-
 ti suæ destinatam jacere cum altero cernit, quàm
 indignatur & irascitur! & quas pœnas incestis
 hisce conjunctionibus comminatur! Sic dum
 ornari cultiùs, scribit alibi, dum liberiùs evagari
 Virgines volunt, esse Virgines desinunt, furtivo
 dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ,
 non mariti sed Christi adulteræ; quàm fuerant
 præmiis ingentibus destinatæ, tam magna sup-
 plicia pro amissa Virginitate sensuræ.

*De Discip.
 & Hab.
 Virg.*

Agnovère id Majores vestræ & Præduces, tot
 inquam Virgines, quæ maluerunt vitam amittere
 quàm Virginitatem, quas Martyres honorat Ec-
 clesia: nonne talis B. Agnes? quæ etiam tempore
 sui martyrii cum multorum votis ex S. Ambrosio ad
 nuptias expeteretur: „ Hæc sponsi injuria est, in-
 quiebat, expectare placituram: qui me sibi prior
 elegit, accipiet. Quid percussor moraris? pereat
 corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo.

*L. 1. de
 Virgin.*

*Ex Brevi-
 viario 5.
 Febr. Lect.
 4. & 5.
 Ex eod. 11.
 August.
 Lect. 9.
 Ex eod. 21.
 sept. Lect. 5.*

Nonne talis B. Agatha, quæ Quintiniani Siciliae
 Prætoris conjugio prætulit durissima tormenta?
 Nonne & talis B. Susanna, quæ maluit gladium
 Diocletiani Imperatoris, quam filii ejus Galerii
 Maximiani amplexus? Respuit nuptias regias Iphi-
 genia ab Apostolo Matthæo perseverantiæ neces-
 sitatem edocta, qui & maluit vitam profundere &
 sangui-

fanguinem quàm Virginitatem Christo dicatam
 Nuptiis prostituere, quem proinde *Victimam &*
sacrificium Virginitatis inscribit S. Hyppolitus. L. de 12.
Apostolis
 Aliarum syllabum attexere non patitur propositus
 nobis *λακονισμῶ*, ideoque elegantissimo discursu
 S. Ambrosii, quo Virginem lapsam affatus est,
 concludo hanc probam, è quo & manifestò constat,
 quibus olim cæremoniis inchoatus hic status:
 „ Non es memorata diei sanctæ Dominicæ Resur- e. 9a
 „ rectionis, is inquit, in quo divino Altari te obtu-
 „ listi velandam? in tanto itaque solenni conven-
 „ tu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida, in-
 „ ter Candidatos Regni cœlestis quasi Regina Re-
 „ gi nuptura processeras. Non es memorata qua-
 „ lis allocutio facta est illa die ad te? Reminiscere
 „ ergò quantus ad sponsi tui & Domini nuptias
 „ populus convenerit: servare te oportuit fidem
 „ quam sub tantis testibus pollicita es, semper co-
 „ gitare cui Virginitatem sponsonderis: faciliùs te
 „ oportuit sanguinem cum spiritu fundere quàm
 „ perdere castitatem tuam. His tunc in illo die
 „ consecrationis tuæ dictis & multis supra castita-
 „ tem tuam præconiis sacro velamine tecta es, ubi
 „ omnis populus dotem tuam subscribens, non
 „ atramento sed spiritu pariter clamavit: Amen.
 „ Vincor lachrymis cum hæc recordor: compun-
 „ gor stimulis dum hæc exempla considero; nam
 „ si inter decem testes confectis sponsaliis, nuptiis
 „ consummatis, quævis viro femina conjuncta
 „ mortali non sine magno periculo perpetrat ad-
 „ ulterium, quid putas fore si inter innumerabiles
 testes

„ testes Ecclesiæ, coram Angelis exercitibus cœli,
 „ facta copula spiritualis per adulterium solvitur?
 „ nescio an possit ei digna mors an pœna cogitari.
 „ Dicit aliquis: melius est ergò nubere quàm uri:
 „ hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad non-
 „ dum velatam: cœterùm quæ se spon-
 „ dit Christo & sanctum velamen accepit, jam nup-
 „ sit, jam immortalijuncta est viro, & jam, si vo-
 „ luerit nubere, communi lege conjugii adulte-
 „ rium perpetrat, ancilla mortis efficitur.

O B S E R V A N D U M P R I M Ò olim moris fuisse
 ut Virgo consecranda Deo seculi fastu deposito &
 simplici habitu induta in Ecclesiam magnâ Virgi-
 num catervâ deduceretur: ut, quemadmodum
 Nuptura splendide ornata & à sponso deducta
 (quod itidem moris erat) eo profitebatur omni-
 busque testatum volebat hunc suum ducem se ag-
 noscere sponsum & Dominum, ita vicissim illa ex
 S. Basilio omnibus palam faceret nolle se sponsum
 alium quàm Christum: *Nam quòd solenne legiti-
 mumque connubium sponsus ille occupavit, & Vir-
 ginitatis habitus, & fœdera, & conventa cum illo,
 & præterea processus ipse testatur: hujusmodi quip-
 pe viro nobilitate processit in publicum.*

L. de Vir-
gin.

De Infit.
Virg. c. 17.
Durand.
Ration.
div. Offic.
l. 2. c. 1.

O B S E R V A N D U M S E C U N D Ò, post Vir-
 ginitatis Elogia & instructionem Virgini datam,
 fusasque pro ejusdem perseverantia preces solen-
 nes, quas habet D. Ambrosius, ei *Velum* ante Aram
 ab Episcopo impositum, quo se Vidua ipsa manibus
 propriis ab Altari accepto obtegebat: ejus color
 varius, is alibi albus, alibi niger, alibi etiam pur-
 pureus

pureus, sed usus siue in Ecclesia siue extra illam perpetuus & forma eadem cum nostris. Dixi ab Episcopo *Velum* Virgini impositum; ei namque propria semper Virginum consecratio & cura; de qua videri poterit S. Chrysofomus.

L. 3. de Sacerd.

*Quo duce certa teris fluxa vestigia vite,
Hunc taciturna tuum Virgo submittit collum,
Mortua sis cunctis aliis.*

cecinit D. Gregorius Nazianzenus Carm. 3. Illud à B. Clemente Papa accepit Flavia Domitilla Virgo Romana, Titi & Domitiani Imperatorum Neptis; à Liberio Marcellina Soror D. Ambrosii: etiam summis Ecclesiæ Præsulibus occupare suas hoc opere manus volupe fuit.

Ex Breviario Rom.

12. Maji, lect. 5.

L. 3. de Virg.

OBSERVANDUM TERTIÒ, eo ipso quòd hoc Velum imponeretur, eas citra ulla vota alia ad perpetuam continentiam obligatas, ideòque illud D. Chrysofomo dictum, *eas à Nuptiis coërce- re*, vel etiam assumpto Habitu Virginali, non enim ubique velamen illud in usu: quomodo hodie- dum susceptis Ordinibus maioribus eidem mancipantur Clerici; & solo Habitu olim astringebantur Monachi non sine sacrilegio Apostatæ, ut fusiùs deducit Nebridius à Mundelheim: non enim Vota illa solennia olim in Ecclesia usitata, quibus hodie Religiosi utuntur, at postmodum inducta non divino, sed humano jure; non enim divinæ institutionis, sed humanæ piæque adinventionis est trium Votorum coagulum: nam cùm alibi Adolescentes & alibi Virgines, pudicitia conservandæ causâ, in unam domum congregarentur, ut servaretur disciplina, invaluit Votum Obedientiæ: & ut Congregationes hujusmodi

Serm. quodam Reg. Fem. Viris cohabitent.

In Antiquario Monast. Epist. 47.

B

sub-

Vide Pla-
nam de Bo-
no Status
Relig. l. 2.
c. 21.

subsisterent, ne bona allata quilibet pro suo libitu dis-
siparet aut ad consanguineos transferret, obtinuit
Votum Paupertatis: præscriptum est autem Votum
Castitatis, ne inde ad Nuptias avolarent, & ut Deo
per vim coactivam fideles fervarentur: unde à reli-
gando Religiosi dicti.

Non est quòd cum Monialibus ratione Professio-
nis suæ contra vos, ô Virgines, insolescant, & pri-
ma ac summa sibi præmia asscribant, utpote qui si-
bi imaginantur vos tantummodò pauculos fructus,
se autem cum fructibus arborem ipsam Deo consecra-
re: cùm eadem quæ Claustralium sit & vestra obli-
gatio; peto namque quæ vestra intentio, quæ co-
gitationes, quando Christo fueritis dicatæ? Num-
quid omnium, velle vos soli Deo vivere, servire, &
mori? Reprobæ sanè, quarum mens alia aut sen-
sus alius: adeoque non ratione Continentiæ vos præ-
cellunt, cùm ab Anno 1139. *Innocentius Secundus* ir-
rita voluerit eorum matrimonia, vos autem reliquit,
quod & hodie facit Ecclesia, conscientia vestræ, quæ
videant, quomodo coram Deo excusent, quæ hîc se
infideles præbent: neque ratione Paupertatis, cùm
plerumque divitiis abundant Monasteria in quæ re-
cipiuntur, *ubi sunt ditiores Monachi quàm fuerant Se-
culares*, scribit S. Hieronymus, *possident opes sub Chri-
sto paupere, quas sub locuplete Diabolo non habuerant,*
& *sustinet eos Ecclesia divites quos tenuit mundus anti-
mendicos.* Vel si Mendicantium sint, nescio quo-
modo illi sibi magna polliceantur merita, qui suo
patrimonio non egenis, quod probat Evangelium,
sed consanguineis ut plurimum relicto eoque iis di-
tatis veros & ex necessitate pauperes suâ mendicitate

Epist. ad
Heliodor.

spoliant eleemosynis, prodantque nil sibi esse eâ paupertate infensus, quam magnis conatibus certant amoliri: *Minus etiam aliis mendicis nocivi sumus*, commoda sobrietatis exponens Novitiis suis inculcat Doctor Seraphicus, *quia, quò plura ab hominibus petimus, eò minus aliis mendicis dandum relinquimus. Et hoc verè est quoddam genus Rapinæ, quod à paucis advertitur, cum aliquis ultra necessitatem veram mendicat, unde alter magis indigens patitur detrimentum, quia postea superveniens non invenit quod iste præveniens præripuit.* Neque denique Obedientia, cum non minus hanc ac illi, ut c. 3. s. 2. trademus infra, Superioribus vestris debeatis, nec soli Monasticæ cedant, quæ de ea apud SS. PP. exstant Encomia. Nolim hæc dicta in vituperium aut vilipendium Religiosorum, sed ut constet non esse in solo eorum vellere pluviam & alibi ficcitatem, ut in *Virgine sua speciosissima* nequicquam probat Arnoldus Cæsarius Observans Franciscanus.

De Profectu Relig. L. 2. c. 47.

Est itaque, Virgines, vita vestra Status in Ecclesia & quidem ipsi Evangelio coævus: *Post Crucem Christi*, observat D. Hieronymus, *statim in Actibus Apostolorum una domus Philippi Evangelistæ quadrigam produxit Virginum filiarum, ut Cæsarea, in qua ex Gentibus Ecclesia per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam Virginum puellarum præberet exempla.* Ideoque quas supra PRIMOGENIAS dicebam VIRGINITATIS FILIAS, nunc voco RELIGIOSARUM MATRES. *Tantum maneat & duret solida & illæsa Virginitas, & ut cæpit fortiter, jugiter perseveret,* commendat Antistes Carthaginensis, *non enim in se Filia, non inquam in se Filia, sed*

L. 1. adv. Jovinian. c. 24.

c. 21. v. 9.

c. 10.

De Discipl. & Hab. Virg.

L. 3. de
Virg.

in nobis vulneratur Ecclesia: caveamus igitur, ad cautelam suggerit D. Ambrosius, ne lapsus noster vulnus Ecclesie fiat.

§. III.

De Cacumine Scale Cælum tangente.

Ex S. Aug.
in qq. ex u-
troque Te-
stamento
mixtim
c. 127.
ex Theodor.
div. decret.
l. 5. de Ma-
trim.
Matth. 19.
ibid. 11:12.

A Christo institutum seu approbatum Statum duplicem agnoscit Ecclesia, Conjugalem scilicet & Virginalem: Conjugalem, dum suam cohonestat presentiam Nuptias in Cana Galilæa, conferens quod deerat ad letitiam, donando vinum absque ulla agricultura productum, matrimonioque leges præscribit, illud ad primævam sui institutionem revocans: Virginalem tam verbis apud Matthæum, quam suo exemplo, dum ex matre Virgine natus, Virginitatem coluit sine nuptiis, qua de causa ut olim de Eva Gen. 2: 23. *Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est*, Virginis etymologiam à Viro, qui Christus est, derivat S. Fulgentius. At neuter præceptus, eum namque qui magis arriserit amplecti cuique liberum: Matth. 19: *qui potest capere capiat*, qui non vult, omittat. Placet tibi Conjugium? duceres affectu ad maritum, Gen. 2: 22. *ut olim Deus adduxit Evam ad Adam?* nullum tibi obstat impedimentum: *Si nupserit Virgo non peccavit.* Afficeris ad continentiam? affectum probat & promovet Apostolus tanquam misericordiam *ibid. v. 25.* consecutus à Domino ut sit fidelis. Imperio legis hinc nemo necessitatur, consilio charitatis agit Apostolus. *Atque hoc ita dico (Apostolo succinens, inquit D. Ambrosius) non ut laqueum cæteris injiciam, sed*

L. de Vi-
uis.

sed